

**www.e-rara.ch**

**Athenae Rauricae, sive catalogus professorum academiae Basiliensis ab  
a. MCCCCLX ad a. MDCCLXXVII**

**Herzog, Johann Werner**

**Basiliae, MDCCLXXVIII [1778]**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rar 6246

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24279>

Professores rhetoricae atque oratoriae.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

obnoxius, aëris mutatione levamentum quæsit, & Basileam migravit, ubi d. 21. Nov. 1576. fata complevit, annum ætatis 30. nondum adsecutus.

Scriptit ac edidit Tiguri a. 1574. 12. ib. 1575. 8. lingua germanica: *Solidam & planam declarationem doctrinæ de S. Cæna Domini, qua genuinus sensus confessionis Basil. in articulo de S. Cæna eruitur & vindicatur.* Exstat etiam in MS. *historia controversiarum, occasione concionis supra memoratæ, oratorum*, ab ipso Ertzbergero adornata a. 1571. 4. pagg. 336. germ.

VIII. MATTHÆUS MEYER, tam Latinorum auctorum quam Dialecticæ in pædagogio Professor, tertiam adhuc suscepit professionem obeundam, nempe Linguæ Græcæ, a. 1567. qua usque ad a. 1582. fuerat functus; nec legitur successorem habuisse, hancque professionem ante pædagogii in gymnasium translationem, a. 1589. factam, abrogatam fuisse videtur. V. Prof. Pædag. Cl. I. n. 6.

## PROFESSORES RHETORICÆ ATQUE ORATORIÆ.

I. ALBANUS THORINUS, f. *Thorer*, Vitoduranus, qui a. 1516. studiorum causa Basileam profectus & a. 1522. Magister artium creatus fuit, ex schola Petrina, cui aliquandiu præfuerat, ad Academiam vocatus a. 1532. Rhetoricam atque Oratoriam simul professus est, donec a. 1535. Medicinam exculturus Galliam petiit; unde Basileam reversus a. 1537. professionem medicam obtinuit. V. Prof. Medic. Theor. n. 3.

Inter *Thorinum* & *Borrhaum* Vrsilius in Ms. ponit a. 1538. *Hermogenem*, & post hunc *Jobannem Afinium*, Vrensiem, quem ait d. 5. Apr. 1540. munus adgressum & a. 1542. diem defunctum fuisse. Sed neutrum agnoscit archivum Academicum. Hoc habet Matricula philof. M. *Job. Afinium* a. 1538. civibus acad. fuisse adscriptum, eumque d. 4. Jan. 1541. 5. Magistros creasse programma publ. probat.

II. MARTINUS BORRHAUS, Stutgardiensis, a. 1536. Rhetoricam atque Oratoriam publice docuit usque ad a. 1544.

a. 1544. cum ad Theologiam promotus fuit. V. Prof. V. T. n. 4.

III. JOHANNES HOSPINIUS, germanice *Wirt*, natus est a. 1515. Lithopoli (Stein am Rhein) oppido Turgurino, a quo & *Steinanus* solet vocari. Bonis literis summa industria incubuit inprimis Tubingæ, ubi & Magisterii dignitate fuit ornatus. Basileam veniens a. 1543. in consilium facultatis philosophicæ receptus & a. 1544. Rhetoricæ atque Oratoriæ professor constitutus fuit; in orationes Ciceronis h. 2. & in Rhetoricam Herennii h. 7. publice legit. In ista autem statione non nisi biennium complevit, a. 1546. ad professionem Organicam translatus. Theologiæ etiam operam dedit, & concionando ecclesiæ prodesse studuit. Animam efflavit d. 7. Jun. a. 1575. Filius ejus *Johannes* prima tyrociniæ laurea coronatus fuit d. 6. Cal. Nov. 1560. Magister vero creatus a. 1563. d. 1. Febr.

Edidit *carmen panegyricum in D. Magnum ab Emersbause*, & aliquot *epithalamia*. 1539. *Quæstionum dialecticarum* l. 6. 1543. & 1557. 8. *Urbani Bellunensis institutionum Grammaticarum* l. 2. in Epitomen redactos, Basl. 1546. 1566 1580. 8. *De syllogismi categorici modis*. 1560. 8. *Epistolas duas ad fratrem Christianum Hospin.* 1560. 8. *de modis Figurarum utilibus in Logica*, 1560. 8. *Aristotelis Organi correctionem* - - Gr. & Lat. 2. Vol. 1573. 8. *Contra-versas Dialecticas*, a. 1576. Basl. 1580. 8 *librum de quantitate syllabarum*. *Erotemata in aliquot Organi Arist.* libros. *Elogia de Eucharistia*.

IV. COELIUS SECUNDUS CURIO, quem *Reusnerus* de se ita loquentem inducit:

*Cælo mens affixa prius mea, nunc quoque cælo  
Vivit. Quam scite Cælius ecce vocor!*

initium hujus vitæ sumsit 1. Maj. a. 1503. Cyriaci Taurinorum, quæ regio hodie Pedemontana adpellatur; pater ei fuit vir nobilis, *Jacobus Troterius Curio*, mater itidem nobilissima *Carlotta*, ex qua pater Curio vicenos ternosque liberos suscepit, ex quibus Cælius noster ultimus natus fuit. Pater cum majorem fortunarum partem Montecalerii haberet, & illic honoribus fungeretur,

retur, eo quoque Cœlium infantem deduxit, & usque ad obitum suum educavit. Hunc filium parentes præ ceteris, binæ tantum filiæ & tres filii fuerant superstites, ardentissime dilexerunt, eique præter eam bonorum partem, quæ illi ex communi divisione debebatur, domum paternam, quam illic habebant, cum quibusdam prædiis suburbanis, sacraque Biblia, auro atque coloribus interstincta, inque nobilissima membrana descripta, testamento legarunt. Mortuis parentibus annum agebat fere nonum, & a domestico pædagogo primum institutus, moxque ad publicos Grammaticos deductus, mirifice proficiebat. Majora dein moliturus Taurinum se contulit, ubi per aliquot annos apud *Magdalenam* proavam suam agens audivit *Georg. Cararam*, *Dominicum Machaneum* & *Joh. Bremium*, oratores, poetas atque historicos præstantissimos. Jus civile dein adigit, interpretante id inter ceteros *Sphondrato* Mediolanensi, qui postea in Cardinalium numerum fuit cooptatus. Variis rumoribus per Italiam de *Lutheri* atque *Zuinglii* nova falsaque, ut vocabatur, religione sparsis, ille annum agens nondum vicesimum, veritatis studio ductus, horum virorum libros, eos exactius exploraturus, comparavit varios; cumque *Lutheri* scripta *de indulgentiis* & *captivitate babylonica*, itemque *Zuinglii* librum *de falsa & vera religione*, cum aliis quibusdam *Melanchthonis* operibus legisset, ita est illa admiratus, ut statim decreverit, in Germaniam transire, cum ob purioris Theologiæ tum reliquarum politiorum literarum studia. Itaque inito consilio cum binis coætaneis, *Jacobo Cornello* & *Francisco Guarino*, qui postea ambo celebres divini verbi ministri facti sunt, institutum iter per *Salassorum* regionem ingreditur. Vix viam ingressi, cum minus caute de rebus ad religionem pertinentibus disputarent, re ad *Bonifacium Eporediæ* Episcopum & Cardinalem delata, omnes a Cardinalis satellitibus in custodiam coniciuntur. Curio per duos circiter menses in arce *Capriana* detentus, intercedentibus amicis, quos in ea regione ex prima nobilitate habebat, tandem solutus fuit atque dimissus. Cardinalis vero insignem juvenis eruditionem videns, postquam eum graviter increpavit, & ne quidquam tale deinceps committat, severe admonuit, sumtus illi ad continuanda studia pollicetur, literisque commendatitiis ad proximum *S. Benigni* cœnobium,

cœnobium, cujus administrationem a Leone x. iisdem fere diebus acceperat, dimittit. Hic cum magnum mortalium concursum ad sanctorum, quas venditabant, reliquias & nominatim calvariam atque alia ossa divi Agapeti atque Tyburti martyris, adoranda vidisset, ipse non nisi superstitionem esse cognoscens, non solum nullo pacto adsentiebatur, nec cultum illis exhibebat, sed & privatim plures dehortatus in fide evangelica erudiebat. In his erat *Martinus Salierius*, juvenis alioquin eruditus ac pius; hic peregre profectus, & *Melanchthonis locos communes* in sinu gestans, mox ante portam, qua flumen præterlabitur, in bestiam quandam, ut ille quidem narrabat, veluti draconem, flammam evomentem, incidit, a qua cum non quidem admodum læsus esset, sed vehementissime perterrefactus, ad vicinum monasterium Franciscanorum confugit, & omnem rem, uti evenerat, illis confitetur, cumque Franciscani in librum illum omnem causam rejecissent, eum ipsis comburendum tradidit & a doctrina, quam a Curione hauserat, discessit. Hinc novum Curioni imminabat periculum. Ipse vero technas Satanae hæc explicans, non tantum non destitit, sed & audacius opus suscepit, & de auferendis reliquiis consilium iniit. Observato igitur clavium, quo repositæ erant, loco, capsam ubi illæ super altari quodam reconditæ adservari solebant, clanculum aperit, clavibus in locum suum repositis, die commoda, qua ceteri omnes aliis rebus erant intenti, universas illas reliquias auferit & dissipat, earumque loco S. Biblia ex cœnobii bibliotheca substituit, hac inscriptione: *Hæc est arca fœderis, ex qua vera sciscitari oracula liceat, & in qua vere sunt Sanctorum reliquie.* Atque hæc quidem tam caute prudenterque patravit, ut nemo claves loco suo motas suspicaretur. Verum cum postea die solenni reliquiarum fercula pompa essent ducenda, ipse Mediolanum aufugit, hincque Romam abiit, aliis quoque Italiæ urbibus lustratis. Hoc confecto itinere, Mediolanum iterum reversus est, ibique discendo docendoque aliquot annos transegit, ob eruditionem pioque mores singulis amatus atque æstimatus. Fame autem ob bellicos tumultus & ex hac orta gravissima pestilentia Mediolanenibus gravissime adfectis, ipse non modo egenos de suo pie & liberaliter sublevavit ære, verum etiam extra urbem variis in

locis,

locis, quo cum nobilissima Ifaciorum familia secesserat, tantum valebat apud sacerdotes auctoritate, ut cum nihil suppeteret, quod in pauperes distribueretur, bona ecclesiastica in pios hosce usus impenderentur, atque ne quidem templorum ornatui parceretur; ipse interim fecus, quam permittit Italorum genius, ægrotis præsens adstitit, mortuos etiam, socio quodam stipatus, sepeliit. Quam raræ virtutis indolem in adolescente admirati Ifacii, non dubitarunt, ex gente sua amplissima uxorem ei conciliare, *Margaretham Blancam*, cum qua in tranquillum Italiæ locum, *Casalen*, concessit, & aliquot annos ex voto ibi transegit. Sollicitatus autem ab amicis, ut in patriam rediret, quia mortuis omnibus fratribus atque fororibus, excepta unica *Maria*, ingens ibi eum maneat hæreditas, eo profectus ab adfines atque sorore, existimantibus, eum nonnisi invifendorum amicorum gratia venisse, peramanter fuit exceptus; sed ex quo de familia eriscunda quæstio ipsis mota, amor versus est in odium, idque vatinianum, quo eum usque ad carceres & rogam sunt persecuti. Soror nempe hæc perfida falso persuadet fratri, imminere ei ex religione periculum, ut sic ab hæreditatis paternæ petitione deterreret, & *Montecalario* alio migrare compelleret, quibus technis effecit, ut *Ramonisium*, oppidum vicinum Sabaudicæ dominationi subjectum, secederet, ibi commoraturus, donec sinistris de se rumoribus oblivioni traditis, tuto in patriam remeare daretur. Invitatus aliquando in vicinum locum, monachum Dominicanum, *Taurino* forte illuc profectum, audivit concionantem, & in Lutherum graviter invehentem; in aliis hoc ei vitio dederat, quod sub specioso libertatis christianæ titulo libidinum omnis generis impunitatem concedat, doceatque, *Christum nec Deum, nec ex Maria virgine natum esse*. Finita concione *Cœlius* a præfecto loci petit, ut sibi dicere quædam publice liceat. Venia & silentio facile impetrato: *Grandia quædam, inquit, Lutheranis obiecisti, Domine Pater! sed ubinam hoc Lutherus adserit? velim mihi librum locumque ostendi, ubi hoc doceat*. Monachus dixit, sibi quidem extemplo id monstrare non licere, *Taurini* autem se ipsi hæc & his deteriora demonstraturum. Ad hæc *Cœlius*: *Ego vero contrarium statim ex scriptis Lutheri docebo, & productis Lutheri in epistolam ad Galatas commentariis,*  
multa

multa populo legit, cum dictis Monachi e diametro pugnancia. Nobiles & populus universus effrenam mentiendi libidinem indignati, impetum in monachum faciunt, cæduntque atrociter, ut, nisi intercessisset præfecti auctoritas, vivus Taurinum non rediisset. Protinus autem Monachus Taurinum reversus rem ad Inquisitorem nec non ad Episcopum defert, a quo satellites mittuntur, qui Curionem in vincula coniectum Taurinum abducunt. Examini subiicitur, quæstiones de tentato olim in Germaniam itinere proponuntur, reliquæ ex cœnobio S. Benigni ablatæ urgentur, hæreseos accusatur, omnia ignem flammæque minitabantur; sed Curio magno & intrépido animo carceris squalores perfert & imminentis lethi atrocitatem aspernatur, ratus, Deo confisum non iri confusum. Interim Aventinus episcopus ad evitandum nobilium Curioni impense faventium odium Romam profectus est, ut quicquid ipso absente supplicii in captivum statueretur, jussu & auctoritate Pontificis R. statutum videri possit. Cœlii ergo custodia Davidi cuidam Cibonis Cardinalis fratri committitur, qui ipsum ex pristino carcere eductum in arctiorem custodiam coniecit, injectis utrique pedi vinculis ligneis, magnitudine pene incredibili, binis etiam custodibus adpositis. Postera die Curio animadvertens, se in ea domo adservari, in qua olim puer vixerat, recordatus quoque singularum domus partium situm, de liberatione sui cogitare incepit, quæ ei hoc modo feliciter successit: Cum pedes ambo ex compedibus intumissent, rogavit custodes, ut alterum pedem ei liberum relinquant, quo, eo curato, alterum quoque liberare & sanare posset. Beneficio isto impetrato, caligam pedis liberi extraxit, eamque pannis linteis infarlit, arundinem etiam sub scamno latentem fictæ tibix inseruit, ut eam movere potuerit haud secus, ac si natura moveretur. Adjuvabat institutum vestis hispanica villosa, ad talos demissa, qua artificium tegebatur. Hoc peracto rogat, ut iterum liceat pedem mutare & alterum liberare, sanato vinculis constringendo. Eximitur itaque pes verus, & immittitur fictus, jamque sic utroque pede liber, nocte intempesta, custodibus profundo somno sepultis, custodiæ ostium, quod negligentius erat occlusum, quoniam vinculis constrictus credebatur, aperit, per gradus descendit, & cum infimam portam  
sera

fera munitam deprehendisset, ex fenestra cochlii per  
 duodeviginti circiter pedes, prius pallium, ut in id ca-  
 deret, mox seipsum deorsum dedit & decumana præ-  
 torii porta ferreo vecte & clave exitum prohibente, non sine  
 extremo vitæ periculo per murum, quem scandit & ex  
 quo sese demisit, evasit. Custodes mane compedes in-  
 tegras & obferatas cernentes, artibus magicis evasisse  
 adseruerunt. Curio vero statim conscripsit libellum fe-  
 stivum, cui dialogi formam, *Probique* nomen dedit,  
 in quo rem, ut a se gesta erat, descripsit. Interim de  
 bonis & universa re familiari actum erat, neque enim  
 in patriam spes erat unquam redeundi; profectus ergo  
 est in quendam Italiæ angulum, ubi se latitare posse  
 credebat; agnitus tamen a quibusdam principibus Me-  
 diolanensibus & Papiensibus, in Papiensem academiam  
 protractus, ibique professor publicus designatus est.  
 Tantæ autem fuit æstimationis & auctoritatis, ut In-  
 quisitores etsi in mandatis haberent, eum captivitati &  
 inquisitioni addicere, non tamen auderent, quicquam  
 in eum durius statuere, studiosis magno numero eum  
 domo sua in academiam deducuntibus, & exinde do-  
 mum reducentibus. Pontifice tandem Romano sub ana-  
 thematis pœna iis injungente, ut ipse caperetur, sub-  
 monitus ab amicis Venetias proficiscitur. Cum ne ibi  
 quidem tutus esset, Ferrariam contendit, cum Renata  
 Ludovici XII. Galliarum regis filia, Ducis Ferrariensis  
 uxore, de rebus suis consilium initurus, quæ ipsum ad  
 Lucenses in Hetruriam amandat, ubi honorifice excep-  
 tus, & academiæ illius professor dictus est. Sed vix per  
 annum factus tectusque mansit, literis Pontificis eum  
 Romam deposcentibus. In Germaniam itaque abiit,  
 Tigurinis atque Bernensibus a modo laudata duce Rena-  
 ta commendatus, a quibus posterioribus Lausannensis  
 scholæ Rector fuit constitutus, quo in munere per qua-  
 driennium summo juventutis emolumento est versatus.  
 Cum autem in Italiam, adducturus uxorem & liberos,  
 quos 7. habebat, rediret, nec tamen in Lucensem ur-  
 bem, ubi illos reliquerat, auderet ingredi, sed in vici-  
 no oppido, cui Pessa nomen est, subsistens expectaret,  
 iterum innotuit, cumque inermis, nec quidquam tale  
 expectans, prandium fumeret, adest ex improvise præ-  
 fectus inquisitorum, quem *Barisellum* Itali nuncupant,  
 cum lictoribus: quibus ante portam dispositis, ipse cœ-  
 naculum,

naculum, in quo solus prandebat, ingressus: *Dabis,*  
 inquit, *te captivum, summi Pontificis nomine, in meam*  
*potestatem.* Cœlius cum & ipsum coram videret, & lic-  
 tores reliquos juxta gradus portam observare cerneret,  
 nec superesse ullam evadendi rationem, surgit e mensa,  
 & se in ejus potestatem daturus, obviam procedit: cul-  
 tellum tamen, quo cibum secando præparabat, forte  
 manu retinet. Hic Barifellus subito, cum & grandi cor-  
 pore virum sibi obviam procedere, eundemque cultrum  
 manu tenere videret, metu concidit. Cœlius exit e  
 cœnaculo, descendit, per medios lictores transit, salu-  
 tat, non agnoscitur, ingreditur stabulum, equum con-  
 scendit, aufugit. Cumque ipsi postea, agnito eo, quod  
 factum esset, canibus equisque velocibus insequerentur,  
 subito adeo gravis oborta fuit tempestas, ut ab institu-  
 to discedere cogerentur. Sic iterum e mortis faucibus  
 evasit & Lausannæ salvus advenit. Relicta autem hac  
 schola Universitatem Basiliensem a. 1546. petiit, ulterius  
 perrecturus, nisi eum Martinus Borrhaus, Theologus, Aca-  
 demix tum Rector, nec non Hieron. Frobenius, Nicol.  
 Episcopus & Mich. Isengrinus, typographi, quibus viri  
 eruditio nota erat, rogando retinuisent. Vacua tum  
 erat cathedra Rhetoricæ atque Oratoriæ, quæ academix  
 procerum suffragiis ei oblata atque ab eo accepta fuit;  
 quo autem hoc munere secundum leges rite fungeretur,  
 d. 6. Id. Febr. 1548. cum Thoma Grynæo, Adamo  
 Bodenstein, & Matthæo Erythronaco publice Artium  
 Magister fuit creatus, & quidem sedendo gradum acce-  
 pit, eodem plane modo, quo Bucerus in Anglia ultimo  
 ætatis suæ anno Cantabrigiæ promotus est; quod iis  
 solum conceditur, qui ætate & eruditione insigniter ex-  
 cellunt. Eodem anno 1548. Rhetorica ei remissa & Pan-  
 taleoni data fuit, a quo tempore, Rhetorica & Orato-  
 ria olim junctæ, ad nostra tempora separatæ manserunt.  
 Quanta fide atque industria, quanto auditorum  
 confluxu, adplausu atque commodo Oratoriam profes-  
 sionem administraverit, dici vix potest; scripta autem  
 publica, quæ postea adferemus, perennia eruditionis ip-  
 sius singularis manebunt testimonia. Vnicum exem-  
 plum studii ipsum audiendi adtulisse sufficiet, nempe  
 magnifici domini *Johannis Kiskæ* Palatini Vitebliensis il-  
 lustrissimi principis filii, qui ex ultimis Lituaniæ terris  
 cum magna nobilium caterva Basileam unice hoc scopo  
 venit,

venit, ut desiderium Cœlii nostri audiendi atque videnti expleret. Summi etiam orbis principes maximis propositis stipendiis illum ad se pertrahere, scholisque suis præficere studuerunt. Ipse Pontifex R. mandavit Episcopo Taracino, cui cum Cardinali Caraffa per Basileam erat transeundum, ut cum Curione de reditu in Italiam & quidem Romam, quo ejus in scribendo opera uteretur, pacisceretur, ipsique promitteret, dummodo deinceps de religione non disputaret, impunitatem, maximum stipendium, & filiabus ejus dotes amplissimas. Quod cum Sabaudix dux audiisset, ipse quoque ei non minora quam Pontifex proposuit, si modo in Taurinensem academiam rediret. Sed ab utroque accipiendo deterruerunt eum vestigia. Maximilianus etiam Imperator, qui filii ejus Horatii opera utebatur, parentem quoque ad se pertrahere, & Viennensi academix præficere voluit. Vaivoda Transylvanix rex, cum in Alba Julia scholam erigeret, patri Curioni sexcentos & filio Augustino trecentos thaleros in singulos annos offerebat, si professionem acciperent; sed neutri paruerunt, & Basileæ, ubi jure civitatis donati fuere, substituerunt. Augustinus vero, patris in cathedra Rhetorica successor, jam d. 24. Oct. a. 1566. animam efflavit, cui illacrymans pater dixit: *Oculos tibi claudio fili, quos tu, si mihi superfuisses, parvo post tempore clausisses.* Hæc patris mors paulo post obtigit 8. Cal. Dec. 1569. Uxor autem eum est secuta d. 12. Maj. 1587. æt. 78. Ex filiis C. S. Curionis *Horatius* natus erat a. 1534. Casali, Med. Doct. & Maximiliani II. consiliarius, in itinere ad Imperatorem Turcarum obiit d. 15. Febr. 1564. *Leo*, natus a. 1536. peragratis fere omnibus Europæ regionibus, mercator vita excessit Basileæ d. 6. Oct. 1601. de *Augustino* infra dicetur. Filia erudita, *Angela*, quæ germanicam, latinam, italicam & gallicam linguam callebat, patremque prælegendo, manu scriptos codices conferendo, aliisque modis multum adjuvit, vitam finivit a. 1584. Bibliothecam C. S. Curionis emit dux Brunsvico Luneburgensis.

Scripta edita C. S. Curionis hæc fere sunt: *Schola s. de perfecto Grammatico* l. 3. it. *de liberis honeste & pie educandis* libellus; nec non *de grammatica latina* l. 6. & *Sulpitii carmen de moribus & civilitate puerorum*, Bas. 1555. 8. *de litteris doctrinaque puerili & ratione docendi grammaticam*. ib.

1546. 8. *Forum Romanum* Basil. 1544. fol. ib. 1561. T. 3. fol. ib. 1576. fol. Argent. 1604. fol. auctius. *Nizolius f. thesaurus Ciceronianus* a C. S. Curione auctus, Basf. 1548. fol. ib. 1563. f. ex offic. Aldina 1570. f. Basf. 1576. auctor per Marcell. Squarzialupum ib. 1583. f. auctus per Jac. Cellarium Lugd. 1582. f. ib. 1584. f. & 1588. f. Basf. 1595. & 1613. f. Franc. 1613. f. Venet. 1617. f. *Logices elementorum* l. 4. quibus ad Aristotelis organum aditus aperitur, Basf. 1567. 8. *Perionii dialecticam commentario illustravit* & edidit ib. 1549. 8. *eiusdemque epitomen* ib. eod. 8. *de omni artificio differendi atque tractandi summa, cum oratoriis exercitamentis* & *juvenilibus quibusdam carminibus*, Basf. 1547. 8. *Orationes*, ib. 1544. 8. *selectarum epistolarum* l. 2. & *orationes*, ib. 1553. 8. *epistolæ*, Basf. 8. *præfatio* in Olympiæ Fulviæ Moratæ epistolas, 1552. in ejus opuscula omnia, Basf. 1558. 8. ib. 1562. 8. ib. 1570. 8. nec non in ejus orationes &c. ib. 1562. 8. in ejus opera omnia, ib. 1564. 1570. 1572. 1580. *Encomium nucis*. *Dialogus Probus*, is insertus etiam legitur in Schelhornii Amœn. Hist. eccles. & literar. T. 1. p. 759—766. *De historia legenda sententia ad Basil. Amerbachium*, exstat Tomo 2. penus artis hist. Basf. 1579. 8. p. 599. *De bello melitenfi historia nova*, Basf. 1567. 8. Franc. 1568. 8. ib. 1596. f. it. germ. per Hier. Halvecium, Basf. 1567. 8. insertus est hicce libellus *Gravii thesauro* Antiqq. Italiæ. In Livium edidit *notas & præfationem de mensuris, ponderibus reque nummaria Romanorum* & *Græcorum*, Basf. 1549. f. liber de ponderibus &c. seorsim prodit Franc. 1588. & 1628. Lutet. 1552. f. Basf. 1554. 8. & 1555. f. *Quædam Appiani Alex. interpretatus est*, & in ejus opera *præfationem* scripsit de vita Sigismundi Gelenii, Basf. 1544. f. ib. 1554. f. Lugd. 1576. 1588. 12. Ad Sabellici opera *supplementa* fecit ac edidit Basf. 1560. f. T. 4. V. 3. *Franc. Guicciardini historiarum sui temporis* l. 20. ex italico in latinum convertit Basf. 1566. f. & 1567. 8. V. 3. *Historiam Franc. Spieræ*, qui, quod susceptam semel evangelicæ veritatis professionem abnegasset damnassetque, in horrendam incidit desperationem, ex italico latinam fecit; cui quoque accessit Martini Borrhæi de usu, quem Spieræ tum exemplum tum doctrina adferat, judicium, Basf. 1549. 1550. 8. Amberg 1608. 12. Lips. 1729. 12. *Commentarius in Ciceronis Brutum*, Basf. 1564. 8. in *Ciceronis oratorias partitiones explicationum* l. 3. ib. 1556. 8. Franc. 1567. 8. *In Ciceronis Topica commentarius*, Basf. 1553. 8. *Omnes Ciceronis orationes* edidit Basf. 1562. 8. V. 3. *Orationes Ciceronis Philippicas* edidit cum notis Basf. 1551. f. una cum 4. orationibus ex Dione, quas vertit in lat. & explicuit, recusæ sunt ib. 1564. f. *Varia ex ore C. S. Curionis in Ciceronem commentantis excepta continentur* in Tomo 1. enarrationum in *Orat. Cic.* Basf. edit. p. 90—99.

728—739. 1554—88. 1762—1824. 2050—67. 2112—32. *Scholia in Juvenalem & Persium*, Bas. 1551. f. Notæ in Sat. Juven. Paris. 1603. Lutet. 1602. 1613. 4. Lugd. Bat. 1695. 4. sed non integræ. *Castigationes in Senecæ opera*, Bas. 1557. f. & Paris. f. *Hermogenis Rhetoricam e græco in lat. convertit. Christiana religionis institutio brevis & dilucida: itemque epistola de pueris sancte christianeque educandis*, Bas. 1549. 8. *Araneus s. de providentia Dei: de animarum immortalitate: de liberis pie educandis: paraphrasis in principium Evangelii S. Johannis: paradoxa christiana: abortio ad veram religionem*, Bas. 1540. 8. ib. 1544. 8. ib. 1571. 8. *De amplitudine regni cœlestis l. 2. adversus Petr. Paul. Vergerium* apologia, qua numerum electorum s. salvandorum in regno cœlesti multo majorem futurum quam reproborum, & Judæos hodiernos omnes ante extremum judicii diem ad veram Christi Messie agnitionem ac fidem esse congregandos ex S. Scripturæ & Patrum recentiorumque Theologorum scriptis demonstratur, Bas. 1554. 8. Goudæ 1614 8. Franc. 1617. 12. inserta ea etiam est Amœnitatibus litterar. Francof. 1730. Vol. 12. mo. p. 600. it. *Responsio brevis &c. eodem tendens*, germ. ibid. p. 612. *Oratio pro vera & antiqua ecclesiæ Christi auctoritate adversus Ant. Florebellum*, Bas. 1546. 8. *De corrupto ecclesiæ statu. Pasquillorum T. 2.* Eleutheropoli 1544. 8. edidit cum præfatione. *Pasquilli Extatici* s. nuper e cœlo reversi de rebus partim superis &c. cum Marphorio colloquium, Bas. 8. sine anno; it. in T. 2. Pasquillor. p. 427. 529. Genev. 1544. 8. Placent. 1545. 8. it. cum *questionibus Pasquilli in futuro Concilio a Paulo III. Pontif. indicto disputandis*, sine anno & loco, liber rariss. 8. it. Genev. 1667. 12. cui accessit *Pasquillus Theologaster*; hic etiam existat in Pasquillor. T. 2. n. 13. *Pasquilli Ext. Pasquinus captivus, dialogus Probus, Sfortia Coræbus, Creusa, Aneas, Processus adversus Pasquillum, Questiones Pasquilli in futuro Concilio a Paulo III. indicto disputandæ.* Omnia auctiora & emendatiora, sine loco & anno, 8. it. germanice sub titulo: *Der verzückte Pasquinus, aus welscher Sprach inn das Teutsch gebracht 1545. gedruckt zu Rom auf anhalten Maister Pasquini.* *Pasquillus ecstaticus* in linguam italicam conversus prodiit Romæ, 8. in linguam gallicam conversus, 1547. 8. C. S. Curionis opuscula, Basil. 1544. 8. In aulica vita & opposita huic vita privata edita Franc. 1578. 8. etiam quædam occurrunt C. S. Curionis. *Honorii Trautmanni ad milites pro tuenda libertate Germaniæ orationem* ex germanica lingua in italicam translata C. S. Curio hinc in latinum convertit, Bas. 4. it. Bernb. *Ochini sermones aliquot* ex italico in latinum transtulit. In *Plantum* C. S. Curionis existant commentationes in libro, cui titulus: *Eru- ditorum aliquot virorum de comædia & comicis versibus com-*

*mentationes*, Bas. 1568. 8. *Emendationes in Aristotelena* atque *Isidorum. De republica christiana; Italia querimonia; Encomium scribarum; encomium ejus, qui pro patria occubuit; Jo Cbeki. Angli, de pronunciatione græca potissimum lingue disputationes cum Stephano Wintonensi Episcopo, septem contrariis epistolis comprehensa*, B. f. 1555. 8. *Guil. Budæi opera omnia, cum ampla Curionis præfatione*, Basil. 1567. fol. 4. Voll. Quatuor ejus epistolæ hæctenus ineditæ leguntur in *Mus. Helv. P. 28 p. 559. & seq.* Nonnulla etiam occurrunt C. S. Curionis in *Bibl. Acad. Basl. MS.* quæ lucem nunquam viderunt.

## PROFESSORES RHETORICÆ.

I. HENRICUS PANTALEON, S. Theol. Licent. Artium & Medic. Doct. Comes Palatinus, & Linguae Lat. in pædagogio Professor, in Rhetorica publice docenda Cœl. Sec. Curioni successit a. 1548. & perrexit ad a. 1551. quo istud officii deposuit. V. Prof. pædag. Cl. I. n. 2.

II. JOHANNES NISÆUS, Augustanus, in pædagogio Poëtices professor, in Academia cathedram Rhetoricam obtinuit a. 1551. in eaque refedit ad a. 1557. ad Physicam promotus. V. Prof. Pædag. Cl. II. n. 2.

III. JOHANNES FUEGLINUS, Poëtices in pædagogio professor, Rhetoricam professionem accepit anno 1557. eamque obiit ad a. 1564. cum ad docendam Logicam fuit vocatus. V. Prof. Pædag. Cl. II. n. 3.

IV. AUGUSTINUS CURIO, tertius Cœlii Secundi Curionis & Margarethæ Blancae Isaciæ filius, natus fuit Salis, oppido Insubriæ, a. 1538. Studiis consecratus, fratremque Horatium æmulatus, eos fecit in Italia studiorum profectus, ut non modo academix Basil. anno 1553. adscribi meruerit, sed in ipso quoque ætatis flore inclarescere cœperit. Hinc factum, ut Academix Basil. proceres a. 1564. professionem Rhetorices ei destinarent, quam brevissime sed laudabiliter administravit. Humanis fuit ereptus d. 24. Oct. 1566.

Scripsit *historiæ Saracenicæ l. 3. & Morochensis regni descriptionem*, Bas. 1567. fol. & 1568. 8. Francof. 1596. f. Germa-